



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Alexandro VII. Ad Clementem X.

**Luxemburgi, MDCCXLII.**

XLIII. Statuit, quod Fratres exteri Ordinis Minorum Sancti Francisci de  
Observantia Reformatorum, in Conventibus Sancti Francisci ad Ripam  
Tyberis, & Sancti Petri in Monte Aureo de Urbe aultrà ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74833)

viniis Ultramontanis factas, ut præfertur, auctoritate nostra Apostolica confirmandi, & approbandi, ac ut in posterum in prædictis septem Provinciis Priores, Subpriores, Sacristæ, & Procuratores singulorum Conventuum, non amplius per Communitates ipsorum Conventuum, sed in Definitorii Capitulum Provincialium, & quatenus aliquod ex dictorum Officialium muneribus extrâ tempus ejusmodi Capitulum vacaverit, in Congregatione annua Definitorii uniuscujusque Provinciæ respectivè eligantur, dicta auctoritate statuendi, & ordinandi, plenam, & amplam facultatem eadem auctoritate, tenore præsentium, concedimus, & impartimur.

Præceptum de observ.

§. 2. Statutum autem sic à te faciendum ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari mandamus.

Contrarium derogatio.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis, Provinciarum, & Conventuum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus: privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanfuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

D. P. An. 2. die 31. Julii.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 31. Julii 1671. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

XLIII.

Statuit, quod Fratres exteri Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Reformatorum, in Conventibus Sancti Francisci ad Ripam Tyberis, & Sancti Petri in Monte Aureo de Urbe ultra quindecim dies morari non valeant.

Edita An. D. 1671.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Causa Conf.

Um fel. record. Alexander VII. & Clemens IX. Romani Pontifices Prædecessores nostri, ut incommodis, quæ Conventus Sancti Francisci ad Ripam Tyberis, & Sancti Petri in Monte Aureo de Urbe Fratrum Minorum Ordinis ejusdem Sancti Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum, ex diuturna in eis Fratrum exterorum mansione patiebantur, occurrerent, Guardianis, seu Superioribus eorundem Conventuum mandaverint, ut in posterum Fratres exteros dicti Ordinis ad Urbem prædictam ex devotione, vel ad negotia pertractanda accessuros, aut tunc in ea forsitan degentes, non permitterent in dictis Conventibus, nec in eorum quolibet respectivè ultra quindecim dies commorari, sub pœnis tam dictis Guardianis, & cuilibet illorum pro tempore, quam iisdem Fratribus, si Sacerdotes forent, privationis vocis activæ, & passivæ, & officiorum ipso facto, si autem Laici, carcerationis, aliisque ipsorum Alexandri, & Clementis Prædecessorum respectivè arbitrio infligendis; Procuratori verò Generali ejusdem Ordinis, & ab iis qui negotia intra dictum tempus absolvere nequirent, scripturas ea concernentes sibi consignari, eademque negotia sedulo pertractata, ac expediri curaret: Et (sicut accepimus) prænarate ordinationes non ea qua par est, cura servantur, sed illis frans fiat, Fratribus exteris prædictis post moram quindecim dierum in dictis Conventibus respectivè peractam, ad Conventus extrâ Urbem non sine horum quoque

Conventuum gravamine, secedentibus, & paulò post ad eandem Urbem redeuntibus, quasi eis non esset interdictum in Conventibus supra dictis, seu eorum altero per alios quindecim dies moram trahere.

Statuit ut in rub.

§. 1. Hinc est quod Nos eorundem Conventuum indemnitati, & levamento quantum cum Domino possumus consulere cupientes, ac memoratorum Alexandri, & Clementis prædecessorum vestigiis inherentes, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ne de cætero quicumque Fratres exteri dicti Ordinis ad Urbem prædictam devotionis, vel negotiorum causa pro tempore accessuri in supra dictis S. Francisci, & S. Petri in Monte Aureo Conventibus, seu eorum altero ultra quindecim dies commorari, nec ipsorum Conventuum Guardiani, seu Superiores respectivè nunc, & pro tempore existentes id permittere ullo modo audeant, seu præsumant, sub pœnis quoad Fratres Sacerdotes, seu Clericos, ac Guardianos, seu Superiores prædictos, eorumve quemlibet privationis vocis activæ, & passivæ, ac officiorum per eos obtentorum ipso facto incurrendæ; quoad Laicos verò, seu Conversos, carcerationis, aliisque nostro, & Romani Pontificis pro tempore existentis arbitrio infligendis tenore præsentium prohibemus, & interdicimus.

Ab exteris quid agendum declar.

§. 2. Præcipientes sub eisdem pœnis, ut Fratres exteri, qui in eisdem Conventibus, seu eorum altero moram quindecim dierum spatium traxisse de præsentibus reperiuntur, statim atque præsentibus litteræ ibidem publicatæ fuerint, inde discedant ad proprias Provincias reversuri. Quod si negotia habuerint quæ tam citò nequeant expediri, scripturas illas concernentes consignent dilecto filio eorum Procuratori Generali, qui eadem negotia sedulo pertractari, & quamprimum fieri poterit, expediri curet.

Eludentibus pœnas addit.

§. 3. Porro si quis præsentem prohibitionem eludere tentaverit, ad Conventus extrâ Urbem tantisper secedendo, & in eandem Urbem regrediendo, quasi sibi in Conventibus præfatis, seu eorum altero per alios quindecim dies commorari liceat; tam ipse, quam Guardiani, seu Superiores prædicti, qui ejusmodi elusorii conatibus non oblitterint, pœnis supra dictis omnino subiaceant.

Decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem præsentibus literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter observari.

Clausula sub lata.

§. 5. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Caularum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariis.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Ordinis, & Conventuum hujusmodi, aliisque quibuscumque etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanfuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. A. 2. die 26. Julii.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 27. Julii 1671. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Quod